

V C
3109





Vc
3109



PIA
GRATVLATIO
PRO

SERENISSIMO ET CEL-

sisimo Principe ac Domino, Domino

CHRISTIANO II.

S.R. IMPERII ARCHIMAR-

*schallo & Electore, Duce Saxonix, Landgravio
Thuringix, Marchione Misnix, Burggravio
Magdeburgi, Principe Hennebergi &c.*

DOMINO SVO CLEMENTIS
SIMO

*Cum VVitebergam, homagium à subdi-
tis accepturus, felici omine ingrederetur, An-
no CHRISTI 1610, 10. et. Prid.*

Id. Octobr.

Nuncupata à
Subiectissimo alumno

M. FRIDERICO BALDVINO

Dresdensi P. C.

VVitebergæ, Typis Meisnerianis, Anno M. DCI.



134.

K. 28 (7^b)

(cat. 1, 296.)





C
I
M
P
C
E
I
E
C
A
I
T
I
I
M
A
O





Vod felix faustumq̄ domi fit, & utile nobis,
Acceptumq̄ Pio fortunatumq̄ Rudolpho!
CHRISTIAS ELECTOR, cui res Germana sa-
lutem

Credit; & Imperij, Duce Cæsare, contulit Ensem;
Iura dat, & nostram sibi legibus obligat urbem.

CHRISTE fave: Tua res agitur; tua gloria crescit
Maiestate ducum. Sed tu quodq̄ solus adauges
Principis imperium: tu subdita pectora plebis,
Corda Ducum, ducis, quò vis: non forte, nec arte
Eligitur, te dante, bonus sapientia Princeps
Iura dat; in manibusq̄ tuis stat adorea Regis.
Ecce! profecto bonum Dominumq̄ Ducemq̄ dedisti,
CHRISTIADEN, Myfiæ cui parent germina Rutæ:
Auspice te, patrio ritu novus Ensifer urbem
Ingreditur: Duce te, dux audit, & audiet idem,
Te Domino, dominus; Patre te, pater audiat, & te
Iura magistratus maiora gerente, gubernet.
Iunior est annis: Tua sed Prudentia mentem
Maturabit; & annorum ver molle senectam
AEquabit, poteritq̄ catâ canere juventâ.

Flecte animos populi; da nos bona publica nosse,
Obsequiumq̄ duci, Tibi, pro duce, debita ferre



Thura precum, precibusq; bonam supponere mentem.
Sic pietas augusta domi, Christianaq; virtus,
Sive domi sit, sive foris, prælustria tandem,
Te duce, CHRISTJANO victore, tropæa reponet.
Et sic Misnica Ruta, tibi sacra, arboris instar
Crescet, & æternæ miscebit germina olivæ,
Nosq; sub optatâ gaudebimus arboris umbrâ.

Oratum est; votoq; lubens è littore solvi:
Dive Deûm nostris dignare precatibus aurem.

Tu verò VViteberga, citis quam Fama quadrigis
Evehit, & claras locat inter Oreadas orbis,
Quam VVitekindæ quoq; regia rudera dextræ
Ornavere, domumq; Ducum, sedemq; Potentum,
Germanumq; hodiè voluerunt esse Sionem:
Augustum submitte caput, tua gloria præstò est,
Gloria, cui vitam fortunatamq; salutem,
Et cui te tandem debere fatebere totam,
CHRISTIAS, augustâ redimitus tempora Rutâ.
Tergeminas aperi, submisso cardine, portas,
Sorde pavimentum, plateasq; expulvera, & omnem
Squalorem è domibus, è civibus eijce fastum.
Accipe, daq; fidem, dominumq; agnosce, tuûmq;
Huius ad arbitrium compone arbitria legum.
Esto, quod es, VViteberga: quod est, erit ipseq; Princeps,
Teq;

Teq̄ clientelâ patriâ tutabitur, & te
Inter honoratas etiam venerabitur urbes.

Quilibet ex morum facie sibi fingere famam
Fortunamq̄ potest, sequitur mens conscia vitam.
Austerum quoq̄ reddit herum petulantia servi,
Quem potuisset habere patrem, facit illa tyrannum.
Pro victu patientis habet sua schemata morbus,
Et pro cive vices & iura reciproca princeps.
Flectere quem nescit Clementia, vincet eundem
Iustitia: imperij sunt hæc duo crura potentis.
Ergò ducem venerare; patrem venerabere, & omni
Iure boni patriæ dignabere filia Patris.

Sed vos Leucorides, mea-semper-gaudia, Musæ,
Quas SAPIENS olim FRIDERICI SAXONIS ardor
Squalentesq̄ situ, cinnoq̄ putredinis udas
Iussit in albiacâ sordes deponere ripâ,
Inq̄ hoc candidulo, velut ad juga Theffala Pindi,
Ponere colliculo tranquilla cubilia, & inde
Exilij tristem protollere carmine mortem;
Vos PIUS AUGVSTVS, VOS CHRISTIAS, inclytus ille
Filius AUGVSTI, duo Saxones immortales,
Expoliere sacris fatis, expoliere profanis,
Vestraq̄ magnificis auxere sacella tropæis.
His ducibus cælo caput immortale tulistis,

A 3

Cumq̄

ps,
eç

Cumq̄ tribus Charifin sacra cumq̄ sororibus Horis
Fecistis gratâ repetita quiete quotannis.
His ducibus late-notas venistis in oras,
Quaq̄ Notus flat, quaq̄ Eurus, quaq̄ utraq̄ Phœbi
It via, Palladios exaudivistis ovatus;
Plaudite tergeminos, mea gaudia, plaudite plausus:
Ecce Ducum soboles tantorum CHRISTIAS hac stat,
Magnorumq̄ legit vestigia celsa Parentum.
Novit is, & verè novit, quàm nulla salutis
Vel magmenta habeat, vel spem Respublica captet,
Vos nisi Musæi genuino lacte saporis
Ebria Pierio feriatis pectora thyrso,
Prudentesq̄ animos animetis acuminis usu.
Ergò nec hospitium vobis, neq̄ publica vestræ
Præmia Saxonicum deerunt pietatis ad Albim.
Crescite iam tandem, iam tandem crescite, & ipsa
E radice boni protrudite germina succi.
Donec Saxonicæ sua CHRISTIAS Ensifer oræ
Iura dabit, patriæq̄ Pater dicetur & auctor,
Nulla teredo pios & nulla rubigo labores
Exedet, æternùm sua stabit gratia Musis.
Hunc igitur Patriæq̄ Patrem, Dominumq̄ Ducemq̄
Carminis induvio (nec enim maiora potestis)
Excipite, & versu (tacito sequar ore) præite.

CHRISTIA

CHRISTIADE, patris cognominis inclyte Fili,
AVGVSTIQ; nepos auguste, Ter-optime Princeps,
Quem iuga Tyrigetum, quem Misnicus Albis adorat,
Quemq; legit primùm sibi Saxona Ruta Patronum:
Te septem-geminis mundi iunxere dynastis
Ordo patrum, & Divi Sanctissima cura RVDOLPHI.
Te dedit afflictis solamen amabile rebus,
Præfecitq; ducem, clementia provida Divum.
Te quoq; tota ferè melior Germania Patrem
Diligit, agnoscitq; ducem, dominumq; veretur.
Teq; immortales repræsentare Parentes
Patria miratur, & Patris imagine gaudet;
Salve CHRISTIADE, Septemvir ô inclyte salve.
Annuat oranti Tibi Rex hominumq; deumq;
Det quæcunq; petes, adversaq; spicula fortis
Defendat capitiq; tuo, capitiq; tuorum:
Teq; Sioneâ tueatur ab arce, potenti
Robore; quò patrijs animis, & pectore firmo
Stes contra quemvis, ut murus aheneus, ictum.
Cœlitus accendat gratæ libamina mentis,
In cineresq; precum convertat thura tuarum.
Quicquid agis, benè sit, tua semper vota secundet,
Consilijq; tui quodvis felicitet omen;
Faxit, ut æternos tecum faciamus ovatus,

Atq;

Atq̄ sibi pro te solvamus vindice grates.
Audiat, auxilioq̄ precum spem prævolet, & te
Prosperet in votis, referetq̄ sacraria cœli,
Divinæq̄ auræ tibi cœlitus impluat imbrem.
Curribus & turmis hostis confidat & armis,
Bellantumq̄ sibi numerum subducat equorum:
Nos iuvat in Domini confidere nomine, ab illo
Duxq̄ ducisq̄ boni victoria provenit uno.
Terga dedere hostes, nos autem stamus; & illi
Interiere, armis fulti; nos Numine tuti
Vivimus: à Domino benedictio Principis: ille
Annuet, & nostris addet sua pondera votis.

F I N I S.



710

W
C
O
T
O
T
P
T
D
T
D
T
R
S
C
I
O
C
F
A

1/6 3/09 OK

MC



ULB Halle
004 789 202

3



Von





124.



VVic

M.

Curr
tis

DO

S.R
chal
TI

C

SE

Ch. 2

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8

Centimetres

KODAK Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2000

Kodak

LICENSED PRODUCT

Blue

Cyan

Green

Yellow


Red

Magenta

White

3/Color

Black



(cat. 1, 296.)

.DCI.

INO

Subdi-
An-

TIS

gravio
avio

AR-

EL-

Vc
3109

